

22  
Pri. 25. *Pr. 14.*

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

1665, 4.

VIRGINIBUS  
EARUMq; JURE,

*Quam*

Divini Numinis annuente Gratia,

*Ex Decreto et Auctoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI  
ET AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM

Ordinis in Celeberrima Argentoratensium  
Academia,

*Pro*

Summis in utroque Iure Honoribus  
ac Privilegiis Doctoralibus ritè  
consequendis,

*Solenni Eruditorum Examine submittit*

JACOBUS BERNHARDUS GSELL,

Werthemio-Francus.

Ad diem 23. Mens. Septembr. Ann. 1665.

*Horis locq; solitis.*



ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII

Imprimebat JOHANNES Schüz.

P. 232.

V I R O S

*Generosâ Nobilitatis prosapia,  
Insigni Munerum Magnificentia,  
Edecumata artis literaria scientia,  
Summaq; rerum gerendarum prudentia*

ILLUSTRES

**DN. FRIDERICVM LVDOVICVM**  
**à IANOVVITZ &c.** Serenissimi Ducis  
Württembergiæ ac Teccia, &c. Pincernam Heredita-  
rium, Consiliarium, Supremumque in **Brackenheim** Præfectum;  
nec non S. R. I. Liberi & Immediati Ordinis Equestris,  
Suevicæ Classis ad Coccarum, Directorii  
Assessorem gravissimum, &c.


Ut &

**DN. PHILIPPVM LVDOVICVM**  
ab & in **NEYPPERG** ac **ODELSHOVEN** &c.  
S. R. I. Liberi ac Immediati Ordinis Equestris, Suevicæ itidem Classis,  
Quaternionis Craiggovicæ Directorem; simulque No-  
bilissimi Ganerbiorum Collegii in **Bönningf-**  
**heim** hoc tempore **Ædilem** longè  
meritissimum &c.

*Dnn. Patronos ac Mæcenates  
suos magnos*

Inaugurali hac Disputatione  
humillimè veneratur

**AUTOR.**



I. N. D. N. J. C.

*Proœmium.*

**B**Xantlatis nuperrimè per Divi-  
nam gratiam Utriusque Juris examinibus, & si-  
mul obtentâ sine Præsîde disputandi licentiâ, pla-  
cuit loco Thematis Inauguralis de VIRGINI-  
BUS earumq; JURE aliqua proponere, non qui-  
dem pro Materiæ dignitate & excellentiâ, quæ  
accuratissimam mereretur tractationem, sed quantum ingenii te-  
nuitas & nimis angusta temporis ratio permittunt. Hinc facilè  
veniam à Benevolo Lectore, imprimis cui tantæ festinationis causa  
nota est, impetraturum me spero, si quæ minus concinnè ac me-  
thodicè (quod ingenuè fateor) elaborata fuerint; Interim hâc viâ  
incedere constitui, consideraturus VIRGINEM secundùm Par-  
tem Generalem, in Definitione ac Divisione, & Partem Spe-  
cialem in Consentaneis & Dissentaneis; Ad illa referam adjun-  
cta quædam, à quibus maximoperè laudantur Virgines, & tandem  
Jura ipsa, tum communia cum Mulieribus quibuscunque, sive Vi-  
duis, tum singularia; Hæc nempè Dissentanea concernunt amif-  
sionem seu deflorationem Virginitatis. Tu æterne DEUS  
benigniter annue cœptis, feliciter dirige cursum, cle-  
menter porridge metam!

THESIS I.

**V**irgo unde descendat, variæ variorum scripto-  
rum sunt opiniones. Fulgentius à *virtute* deducit, ut ex  
ipso nomine semper se admoneri cognoscat; Et sicut  
virtus labi nescit, ita virgo quoque intacta esse debeat.

Alii à viro dicuntur, quod infantilem ætatem egressa nubilis esse queat, viroque conjungi, quasi juvenis vira. Martin. in *Lexic. Philolog.* unde & in germanico, *Männin* / *Genes. 2. v. 3.* Alii à viragine, quæ per syncopen fit virgo. Iohan. Fung. in *Etymolog. triling.* Nonnulli à *vigore* seu viridioræ ætate, quia maximè vigeant puellæ tum temporis, quo virgines dicuntur. Kornman. de *Virginitat. cap. 1.*

II. Sumitur autem diversimodè, vel propriè, & quidem in sensu latiori pro omni eo, qui Veneris expertus & ignarus est, Calvin. in *Lexic.* tam pueri investes (à Vesta, h. e. pudicitia & castitate ita dicti, & quibus propter teneram ætatē nulla pars corporis pilat. *Laurenb.*) quā puellæ, hinc virgo puer, virgo discipulus, Magnif. D. D. Rebhan *Patron. ac Præc. meus æternum venerand. in Hodog. Chart. 2. Clim. 4. Parall. ult. n. 15.* In sensu strictiori est perpetuū sexus fœminei epitheton, & denotat puellam viripotentem, intactam, & nondum de-  
virginatam, ut loquitur. *ICtus in l. 21. ff. de offic. Præs.* Vel accipitur impropriè, & 1. Synecdochicè de jam nuptis, eo respectu, quatenus Virginitas determinatur virtute animi, & mentis integritate, ab omni illicitæ libidinis labe. 2. Metaphoricè & planè abusive ad res inanimatas quoque refertur, sic Martialis chartam adhuc dum mundam, cuique nihil est inscriptum, vocat virginem. Item ager dicitur virgo, qui nunquam aratro proficissus. Urbs virgo, quæ à nemine hostium adhuc subacta & occupata. De quibus fufius agit *supr. laudat. Magnif. Dn. D. Rebhan loc. cit.* Et præterea, si cui libet, conferri possunt Lexicographi, in primis Martin. in *Lexic. Philologic. voc. Virgo.*

III. Nec uno eodemque nomine semper venit Virgo: Interdum enim vocatur Puella, *c. honorantur. 32. q. 2. & c. Puella. 20. q. 1. Virgil. 2. Aen.*

— *Circum pueri, innuptæq; puellæ  
Sacra canunt.*

Interdum Fœmina *pr. Inst. de nupt. l. 3. C. quand. tutor. vel curat. esse desin. pr. Inst. quib. mod. tutel. fin. Mulier l. 81. §. 1. ff. de legat. 3. l. 13. ff. de V. S. conf. infr. th. 12. cum seqq.* Quod tamen Valla (teste Gœddæo ad dict. hanc leg.) non aliter intellectum vult, quàm inter reliquas, e. g. Si quis decem fœminas videns, quarum una aut altera  
faltem

saltem virgo esset, dicat, vidi decem mulieres. Hinc textum citat. legis 13. emendari, ac pro mulieris, mulierum legi oportere contendit, cum vocabulum mulieris ad solas corruptas pertineat, l. ii. §. 1. ff. de contrah. empt. ubi inquit Ictus, Quod si ego virginem emere putarem, cum esset jam mulier, nempe corrupta. Item l. ii. §. 5. ff. de act. empt. Si quis se virginem emere putasset, cum mulier venisset. Sed quanquam significatio mulieris aut pro re subjecta, aut per oppositionem interdum coangustatur, & ad specialem suam significandi vim, quâ solas continet corruptas, restringitur. Hoc tamen generalem ejus significationem non tollit, sicut nec Adoptioni adimitur, quoties absolute non relative (respectu arrogationis) proferatur, nec cognationi detrahitur, quoties non respectu agnationis, sed absolute consideratur; Mulieris enim nomen generale est, Dn. D. Brandmyll. in Manuduct. ad Ius Canon. & Civil. pag. 641. quod in se comprehendit & virginem & nuptam, textu claro in l. 14. §. 7. ff. de adil. edict. ubi Ictus de una eademque individua loquitur, Mulierem, inquit, scil. virginem, quæ adeo arcta est, ut mulier fieri, h. e. virum pati, non possit, sanam non videri. Et apud Majores indiscrete Virgo dicebatur & Mulier. Hinc Virgil. Eclog. 6.

*Ab Virgo infelix, quæ te dementia cepit.*

Cum tamen constet Pasiphaen Minois uxorem, de qua Poëta loquitur, trium liberorum matrem tum fuisse. vid. Magnif. Dn. D. Rebhan. supr. allegat. loc. Imò Virgo appellatione Viduæ etiam continetur l. 242. §. 3. ff. de V. S. præsertim si vidua dicatur, quasi sine duitate, ut habent verba finalia dictæ l. 242. §. 3. Inde Isidor. lib. 9. Etymolog. c. 8. Vidua, inquit, nominata est, quod sola sit, nec circa consortium viri vivat. Quæ sanè Etymologiæ ratio æquè in Virgines cadit, ac in eas, quæ aliquando nuptæ fuerunt. Propriè tamen, ut ait Gail. 1. obs. 1. n. 41. Vidua vocatur, cujus maritus mortuus est, ab antiquo verbo, Iduo iduas, quod dividere & separare significat. In generali itaque sensu Virgo nomine Viduæ venit. Pac. Anal. Cod. quand Imp. int. pupill. vel vid.

IV. A Virgine insuper descendit Virgineus, Valer. Flac. lib. Argonaut. 5.

*Audit Virginei custos grandæva pudoris.*

A 3

Virgi-

Virginarius, Plaut. *Scelestia fides est Virginaria.* Virginalis, ut apud Cic. *lib. 1. de Divin. Virginalis modestia.* Item *Virginalis habitus atque vestitus.* Virginalis verecundia apud eund. in *Orat. pro Quintio.* Virginal, virginis ἀἰδᾶον, sicut veretillum viri, Prudent. *Intactum ab omni crimine virginal,* dictum etiam aliàs Feminal & Interfeminiū, vid. Scip. Gentil. in *Apolog. Apul. n. 377.* & Laurenberg. *hac voc.* Virginari, hoc est, virgines agere, quod vocabulum apud Tertull. depravatum restituit Rhenanus, teste *Calvino in suo Lexic.*

V. Est autem Virgo foemina, quæ virum non cognovit. Kornmann. *de Iur. Virginitat. cap. 2.* Describo per foeminam, ut excludam masculos, qui licet æquè (quamdiu Veneris expertes sunt) Virgines dici possint, *conf. supr. th. 2.* tamen hoc in loco Virginem strictè, quatenus foeminini sexus est, intelligimus. Additur Quæ virum non cognovit: Quamvis enim claustra virginalia vel manibus vel alio quocunque instrumento frangi ac referari possint, sicut ex Medicis notant Pareus, Codronchius, Roderic. *Castr. lib. 4. Med. Pol. cap. 12.* & ex Jureconsultis Guazzinus. Tamen quamdiu à maris conjunctione ea illibata servabit virgo, tamdiu Virginitatem ipsam incolumem & incorruptam custodiet: Nec minus Virgo dici potest, quæ virginalia claustra, extra viri conjunctionem, ita dirupit, quàm si pedem, aut manum dirupisset. D. August. *lib. 1. de Civit. Dei cap. 18.* Intellige, quatenus Virginitatem formaliter consideramus; Dupliciter siquidem sumitur, uno modo Formaliter, quam Zachias in *Question. Medico-legal. lib. 4. tit. 2. q. 1.* definit per Qualitatem quandam Mulieris à natura ex integritate muliebrium vasorum resultantem, quamdiu à maris conjunctione vasa illa servantur illibata. Altero modo Materialiter, & ab eod. Authore *loc. citat.* ita describitur: Quod sit naturalis quædam constitutio & coherentia vasorū muliebrium. Quæ sic accepta facile amitti possit ac destrui, etiam per manus aliudve instrumentum. Confer Paul. *Comitol. Moral. lib. 4. quest. 17.*

VI. Ex quibus facilè apparet, nos tantummodo loqui de Virginitate corporali, non de mentali seu spirituali, quæ consistit in animo, & à violento stupratore eripi nequit, *c. de pudicitia 32. q. 5.* cum non vis, sed voluntas maculet mulieris corpus. D. Augustin. in *libr. de Sanct. Virginit. c. 8.* Qui etiam *libr. de Nupt. Virginitatem* hanc definit perpetuam in carne corruptibili Incorruptionis meditationem. Ut ita integritas carnis non pertineat ad essentiam Virginitatis mentalis, sed sit quidam decor accidentalis, extrinsecus existens, qui perdi potest sine diminutione ipsius Virginitatis, *dict. cap. de pudicitia. junct. c. tolerabilius. 32. q. 5.*

VII. Caterùm Virgo vel est viripotens, *pr. Inst. de Nupt. & pr. in fin. Inst. quib. mod. tut. fin. vid. infr. th. 10.* vel non viripotens, *l. 101. pr. ff. de condit. & demonstr. Illa vocatur etiam tempestiva,* Philipp. Carol. in *Animadvers. ad Noct. Attic. Agellij lib. 6. c. 8.* Item matura, unde Virgilius ::

*Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.*

Hæc verò acerba, hinc Varro: *Noluerunt majores nostri virginis acerba aures Veneris verbis imbui.* vid. Philipp. Carol. *d. loc.* Item alia est sine voto, alia cum voto. *c. si quis votum. 27. q. 1. c. Beata Maria. 27. q. 2.* Quæ Virgines, si Monasterium ingressæ sunt, vocantur cum adjecto Sanctimoniales. *Rubr. C. de rapt. virg. Sacra. c. Virginibus. 27. qu. 1.* Deo consecratæ, *c. Virginem. ibid.* Deo dedicatæ. *c. Virgines. ibid.* Ex his iterum aliæ sunt velatæ, aliæ non velatæ. *c. hæc verò. & c. viduas. à proposito. ibid.* Quæ virginitas ex voto servata Pontificiis magis meritoria dicitur, quàm altera sine voto. Marquard. *Tract. de Cœlibat. Sacerdot. non abrogand. cap. 9.* In tantum, ut etiam animæ incorruptionem hujusmodi virginibus adscribant, sicut verba ejusdem Authoris innuunt, dum ait: *Quod Sancti habebunt in cœlo, scilicet integritatem & munditiem corporis animæq., hoc jam virgines obtinent in terra; Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Major tamen est victoria Virginum, quàm Angelorum, Angeli enim sine carne vivunt, virgines autem in carne triumphant. Et in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis, & in carne cœlestem gloriam acquirere, majoris est meriti, quàm habere.*  
Et sicut

Et sicut Christus in cœlis Angelos habet, habuitq<sup>3</sup>, antequam ingressus est mundum, ita in mundo habet Virgines, sicut Angelos. Hactenus ille.

VIII. Virgines verò Deo consecrare proprium Episcoporum munus censetur. Unde in Pontificali Romano integer extat hujus officii ab Episcopo exequendi descriptus ritus, in quo inter cœteras caremonias & hoc observandum venit: Quod Pontifex (*verba sunt infr. allegati Authoris*) accipiens anulum cum dextra sua, & dextram manum Virginis cum sinistra manu sua, & mittens anulum digito anulari dextræ manus Virgini, desponsat illam Jesu Christo, dicens: Desponso te Jesu Christo filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. Accipe ergò anulum fidei, signaculum Spiritus Sancti, ut Sponsa Dei voceris, & si ei fideliter servieris, in perpetuum coroneris, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ita refert *Andr. du Saussay Panopli. Episcop. lib. 3.* Sed olim ex Patrum Conciliis ante 25. ætatis annum non consecrabantur; sancitum enim fuit, ne intra istud tempus religioso in delubro dicationis sponsionem facerent, vel in manum Antistitis convenirent ex voto perpetuo. *Christoph. Roffiniac. Cosagæ. de Benefic. eorumq<sup>3</sup> acquisit. & amiss. cap. 2.* Atque id ipsum reperitur in Concilio Carthaginensi tertio, *cap. placuit. distinct. 77.* Item *cap. 14. caus. 20. q. 1.* Quod tamen postea Pontifices immutarunt, solius pubertatis rationem habendam esse statuentes. *c. indemnitatibus. 43. de election. in 6.*

IX. Verùm perpetuæ Virginitatis votum an sit approbandum, quæritur? Affirmat *Bermond. Choveron. tractat. de public. Concubin. Virginitas, inquit, non obest dicto Dei, crescite & multiplicamini, quia generatio non est de necessitate individui, ut est potus & cibus, sed tantum de necessitate speciei, non est necessarium, quod omnes homines ætibus generationis vacent, sed quidam possunt abstinere.* Econtra *Cypræus de jur. Connub. cap. 13. §. 73.* Theologorum recentiorum negativam enarrat sententiam, quod nempe ejusmodi votum pugnet cum mandato & ordinatione Dei, qui hominem condiderit ad societatem conjugalem, & disertis verbis præceperit, ut crescerent, terram replerent, & Reip. Christianæ seminarium piè sanctèque propagarent. *Gen. 1.* cum quilibet innatam sentiat concupiscentiam, & proindè melius sit nubere quàm uri. Quà de causâ *Dn. D. Brandmyll. in Manuduct. ad Jus Canon. & Civil. p. 639.* haud ineptè colligit,  
Votum

7.

Votum Virginitatis non omnino esse indissolubile, nam & Romani Episcopi, qui alias severi existunt vindices in voti transgressores *caus. 32. q. 1. per tot.* hoc quandoque remisisse deprehenduntur. Sic Cælestinus III. Constantiam ex Monasterio Panormitano Deo dicatam eduxit, & Henrico VI. Imperatori in uxorem dedit; Quod factum tamen acriter impugnat Smytheus Anglus, dicens, Pontificem Romanum indignè ac injustè fecisse, qui dicatam Deo Virginitatem matrimonio copularit. Sed non omnes Theologos habet consentientes, imprimis Scholasticos, qui factum probant, quando publicæ utilitati seu paci Regnorum consulitur. Et ad alia insuper plura respondet dictus Dn. D. Brandmyll. *loc. cit.*

X. Virginis viripotentis *supr. th. 7.* mentionem fecimus, quæ qualis sit, si cognoverimus, facilè etiam apparebit, quænam dicatur non viripotens, *arg. pr. Inst. & l. 1. pr. ff. de his, qui sui vel alien. jur.* Est autem Viripotens matura & nubilis virgo, quæ virum pati potest, *l. 30. ff. quand. dies legat. ced.* Et ista potentia consideratur ex vigore naturali, cujus respectu etiam mulier arcta *l. 14. §. 7. ff. de edil. edict.* viripotens esse censetur, quia ejusmodi arctatio ab accidenti venit, sicut masculus quoque, qui ad generandum ob impedimentum aliquod accidentale inhabilis est, nihilominus pubes dici potest. Quam tamen pubertatem tam in masculis, quam in foeminis, Johannes Brunellus in *Tractat. de Sponsal. & Matrimon. conclus. 4.* haud æstimandam putat ex pudendis, signum enim esse fallibile, cum multi in ea parte corporis lanuginem contrahant, qui ideò non sint pùberes: Neque ex numero annorum, quia constat, quod puer nono ætatis anno nutricem suam prægnantem reddiderit, teste Gregor. in *Dialog.* Sic Salomonem Regem undecim annis natum (vel duodecim, prout vult Tholosan. *Syntagm. Jur. univers. lib. 9. c. 7.*) Roboam genuisse, & Pharez filium Judæ, nono ætatis anno Esronem filium suscepisse, & Haran Lothum octavo, tradit Tiraquell. *de Legib. Connubial. lib. 6.* cui tamen cum Authoribus ibi allegatis sua sit fides. Et de puella, quæ nondum attigerat 10. annos, carnaliter cognitâ, refert text. in *c. Jordana. extr. de eo, qui cognov. consang.* Item Quartilla, infame illud Petronii scortum, suâmet voce profiteretur, cum ætatis suæ memoriam recordaretur ultimam, incertos sibi esse & incognitos virginitatis annos; Infantem enim cum pa-

B ribus



ribus inquinatam, & procedente ævo majoribus se pueris applicuisse, Junonem meam iratam habeam, inquit, si unquam me meminerim virginem fuisse. vid. Dn. D. Brandmyller. in *Manuduct. ad Ius Canon. & Civil. pag. 221.*

XI. Quapropter Antonius Gubert. Costan. in *Commentar. de Matrimon. tit. de his, qui matrim. contrah. poss.* duplicem facit pubertatem, Naturalem & Civilem: Illa, inquit, non ex numero annorum, sed habitu corporis cognoscitur, ut qui generare possunt, puberes quoque sint. Hæc æstimatur anno 14. in masculis, & 12. in foeminis, pr. *Instit. quib. mod. tutel. fin.* Quæ civilis pubertas in Matrimoniis, pr. *Institut. de Nupt.* & Testamentis ita determinata est, l. 5. ff. *qui testament. fac. poss.* nam in adoptionibus & legatis alimentorum plena observatur pubertas, nempe annus 18. l. 40. §. 1. ff. *de adopt.* Itaque Imperator Hadrianus constituit, si usque ad pubertatem alimenta relinquuntur, pueris usque ad 18. puellis ad 14. ætatis annum præstanda esse, l. 14. §. 1. ff. *de aliment. & cibar. leg.*

XII. Et hæc occasione Virginis viripotentis, ulterius inquirendum est in legem 13. ff. *de V. S.* ubi virgo demum viripotens appellatione mulieris contineri dicitur, cujus assertionis ratio ab Inscriptione ipsius textus peti debet, sic autem habet: *Idem* (sc. Ulpianus) *libr. 7. ad Edictum.* Quo in loco Ictus disseruit de procuratoribus & de fidejussoribus eorum, qui iudicio se sistere promittunt: item de iis, qui dolo faciunt, ne Rei vocati se sistant, aut fassident de cautione facienda, si ex noxali causâ agatur, & quæ sunt ejusmodi alia, ut apparet ex l. 1. ff. *de eo, per quem fact. erit. l. 5. & 7. ff. de procurat. l. 1. & 3. ff. si ex noxal. caus. ag.* Potest itaque responsum dicte legis 13. tam ad tractatum de cautionibus quàm de procuratoribus accommodari; Quia autem constat, mulieres ne quidem in iudicio pro reis fidejussores regulariter fieri posse, propter SC. Vellejanum, quod de intercessionibus illarum factum est, tot. tit. ff. *ad SC. Vellejan.* Item mulieres prohiberi non solum postulare, verùm etiam procuratorio munere fungi, l. 1. §. 5. ff. *de postuland. l. 2. ff. de R. I.* Ideò apud Ulpianum quærebatur, quid in Edicto Prætoris prohibitorio appellatione Mulieris esset expressum: Ad quam quæstionem responder, prohibitione illâ contineri etiam Virginem viripotentem, tum quia regula juris indistinctè ob sexus fragilita-

gilitatem & honestatem, consiliique facilitatem ab omnibus officiis civilibus removeat quamlibet foemina, *d. l. 2. ff. de R. I.* tum quia non solum par, sed major etiam ratio certet pro virginibus viripotentibus, ne ad virilia accedant negotia, cum periculosum & fragile vas sit Virginitas, multis insidiis exposita: nimis enim pronas in Venerem dicit virgines Tiraquellus *l. 9. connubial. n. 117.* utpote quae vehementer expetant voluptatem eam experiri, cujus haecenus fuerunt ignarae. Sed num viduae incontinentiores virginibus sint? Ita vult Kornmann. *cap. 62.* cum conjugalis istius beneficii compotes factae, & adhuc memores, semper dulcedinem illam expetant, & inde impatientius a conjugio abstineant, praesertim juniores, id quod ipsemet Imp. Justinianus animadverterit, indictam viduitatem tollendo, *Coll. tit. hoc*, quia maxima cupiditas mulieribus in hoc constituta sit, ut partus ederent. *l. 2. ibid.* confer Tiraquell. *cit. loc.*

XIII. Igitur in Edicto Virgo nondum viripotens haud continetur appellatione Mulieris, non quia mulier non sit (si enim sexum & futuram brevi potentiam respiciamus, impuberes quoque foemellae mulieres dicendae erunt) sed quia ipso jure ob aetatis imperfectionem, quae nullis rebus agendis, contrahendis, gerendisve apta est, haec personae repelluntur, licet maxime sint Virgines, ut inquit Gœdd. *ad cit. l. 13.* Et ita virgo viripotens, quoad sexus substantiam & facultatem, mulieris appellatione tanquam genere suo continetur, sicut *supr. th. 3.* aliquatenus innueram. Mulier enim graecè dicta est *γυνή*, quasi ad generandum apta, & latinè à mollitie, teste Ovyen. *lib. 1. Epigramm.*

*Dicta fuit mulier quasi mollior.*

Quae affectiones aequè conveniunt virgini, ratione verò qualitatis in sexu differunt, haecque differentia consistit in integritate & corruptione.

XIV. Ex hisce haecenus deductis idem Gœddæus loc. citat. tale eruit Axioma: *Quod prohibitiones, legales interpretationes, & alia jura ad mulieres pertinentia, comprehendant etiam Virgines, nisi subjectum vel circumstantia qualitatis aliud suadeant.* Hinc cum mulieres prohibeantur intercedere, postulare, procuratorio munere fungi, judicare, Magistratum gerere, *l. 2. ff. de R. I.* intelliguntur etiam virgines vi-

ripotentes prohibita. Et manifesta ratio est, cur Ulpianus in l. 28. §. 9. ff. de aur. & argent. legat. doceat, muliebri veste legata, contineri etiam puellarum & virginum. Sic in l. 81. §. 1. ff. de legat. 3. dicitur, Mulieribus legatis etiam virgines deberi; testator enim magis ad sexum ipsum, quam sexus qualitatem respexisse censetur. Quod si verò tale quid mandasset, quod solummodo esset mulierum corruptarum, velut virgini Seja, cum pepererit, centum do lego, illa conditio vel pro non scripta habebitur, vel si aliquando impleri poterit, suspendetur legatum, quasi hac conditione datum, si virgo illa nupta pepererit.

XV. Hisce generaliter absolutis, videbimus nunc Adjuncta quaedam, à quibus maximè virgines commendantur, & inter ea sese offert Humilitas. Decet, inquit D. Augustin. virgines esse humiles, alioquin melius est humile conjugium, quam superba virginitas. Hinc & alius Scriptor (quem Benedictus Ægidius tractat. de Jur. & Privileg. honestat. artic. 18. cum sequentibus verbis refert) sermonem ad superbas virgines convertens: Quid, dicit, virgo superba? Maria virginem se oblita gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate; Respexit (ait illa) humilitatem ancillæ suæ, quæ illa? Virgo utiq; sancta, virgo sobria, virgo devota; Nunquid tu castior illa? nunquid devotior? aut nunquid tua forte pudicitia gratior castitate Mariæ, ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua? Deniq; quanto honorabiliores ex singulari munere castimonie, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fædas permixtione superbie, alioquin expedit tibi, virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas, multo tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi. Quod si & virgo & humilis es, certè magna es. Eodem ferè modo Tertullianus virgines ad humilitatem exhortatur, dum inquit: Præcipuum certè Magisterium & virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum est, qui omnibus dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hinc iterum Augustinus: Virgo nec sermonis jactantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere, sed in humilitate (quamdiu vixerit) permanere.

XVI. Et signum hujus humilitatis externum nonnunquam esse corporis habitum atque cultum, dicit Marquardus tractat. de Cœlibat.

*etelibat. Sacerdot. non abrogand. cap. 9.* Qui proinde virgines imprimis Deo dicatas admonet, ne molli vestiendi cultu utantur, cum humilitas & verecundia sese componant non in tortis crinibus, aut auro & margaritis, preciosisve vestibus, sed cultu cordis, 1. Petr. 3. vers. 3. Neque enim fas esse, Virginem ad speciem suæ formæ comi, aut de carne & pulchritudine ejus gloriari, cum nulla sit illis magis quam adversus carnem colluctatio, & vincendi aut domandi corporis obstinata certatio; Ornamentorum vestiumque insignia vel fucorum lenocinia veris virginibus non convenire: Subjicit exemplum aliquod: *Videant, inquit, quid circa hoc dixerit Cyprianus Martyr. Si quis pingendi artifex vultum alicujus & speciem corporis æmulo colore signasset, & signato jam consummatoq; simulachro alius afferret manus, ut jam formatum jam pictum quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria & justa indignatio videretur. Tute existimas impunè latura tam improbe temeritatis audaciam? Dei artificis offensam? Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est divini operis, prævaricatio veritatis. Cæterum de vestitu Monialium vid. c. 2. Clément. de statu Monach. & c. vidua. 20. q. 1.*

XVII. Nec minus Verecundia convenit Virginibus, quippè & ipse Apostolus 1. *Timoth. 2.* mulierem cum verecundia ornari jubet. Unde plurimi Scriptores verecundiam appellarunt virginalem, c. *honorantur. 32. q. 2.* Sic Tibullus non dissimiliter pudorem virgineum vocat *lib. Eleg. 4.*

*Virgineus teneras stat pudor ante genas.*

Et Statius *lib. 12.* *Olim hic virginei custos monitorq; pudoris.*

Item Virgilius *lib. 1. Georgic.* virgineum ruborem dicit:

*At si virgineum suffuderit ore ruborem.*

Tandem Ambros. *c. 1. Institut. Virg.* scribit: *Virginitatis dos quedam est verecundia.* Hanc ob causam Ovidius *lib. 3. Metamorphos.* Dianam commendat:

*Hic Dea sylvarum venatu fessa, solebat*

*Virgineos artus liquido perfundere rore.* Et paulò post:

*Qui color infectis adversi solis ab ictu*

*Nubibus esse solet, aut purpureæ auroræ,*

*Is fuit in vultu visæ sine veste Dianæ,*

*Quæ quanquam Comitum turba est stipata suarum,*

*In latus obliquum tamen astitit, oraq; retro*

*Elexit.*

B 3

Et

Et Augustinus *lib. ad sacr. Virg.* inquit: *Sit sermo virginis prudens, modestus & rarus, non tam prudentiâ pretiosus quàm pudore.* Mirentur omnes *te tacente tuam verecundiam, te loquente prudentiam.* Maximè autem in nuptiis contrahendis verecundæ existant virgines, *l. 20. C. de nupt.* non est enim virginalis pudoris eligere maritum, inquit Ambros. *in dict. c. honorantur. 32. q. 2. ibique in fin.* Verecundiam præmittat, antequam nubat, quò ipsum conjugium plus commendet verecundia. Confer Consil. Argentoratens. *vol. 1. conf. 48.*

XVIII. Præterea Castitas summoperè ornat Virgines, & est quasi illarum proprium, *fac. text. in l. 5. C. ad SC. Orfit.* Celebres autem imprimis sunt observatam castitatem gentiles Virgines, quarum plurimæ mori maluerunt, quàm obedire carni; Exempla nonnulla recenset Bermond. Choveron. *tract. de public. concub. in præfat.* ubi meminit duarum filiarum, quæ mutuis mucronibus se conciderunt, quia duo juvenes jure hospitalitatis à matre suscepti, ipsis virginibus noctu violentiam intulerant. Item de alia virgine, ab hoste Macedone corruptâ, quæ violatorem suum jugulavit, & mox gladio seipsam interfecit, nolens (perditâ virginitate) ducere vitâ. Sic de græca quadam fœmina, Hyppo nomine, quæ cum hostium classe esset excepta, in mare se abjecit, ut morte pudicitiam tueretur. Memorabile quoque est factum Virginii, filiam suam interficientis, propter stuprum ab Appio Claudio intentatum, maluit siquidem virginis pudicæ esse interemptor, quàm corruptæ pater, *l. 2. §. 24. ff. de orig. jur.* Livius *lib. 3. decad. 1.* Elegantissimum insuper locum castæ cujusdam Virginis, pudicitiam suam ab insidiis adolescentis amatoris feliciter conservantis, apponit Dn. Conrad. Rittershuf. *in Sac. lection. lib. 6. c. 5.* hisce verbis: *Cùm aliquando juvenis quidam ad libidinem propensus, ac mulierum servus pulcherrimam virginem conspexisset, ejusq; amore captus fuisset, atq; quò cupiditate suâ fruereetur, nullam non machinam movisset, illa principio quidem postulatum ejus repudiavit, nam & nobilis & casta erat, seq; & animum & corpus ab omni libidine intactum servaturam esse Christo promiserat.* Ut autem certior facta est, eum propterea furore ac rabie precipitem agi, rationem excogitavit, per quam & pudicitiam suam retineret, & ipsius ignem extingueret; Attonso enim vel (ut rectius loquar) abaso universo crinium suorum ornatu & elegantia, facieq; suâ cinere aqua permixto delibutâ illum ad se accivit, eiq; cum ingressus esset, dixit:

dixit: Tunc hanc deformitatem amas? Ille verò tanquam ex furore revocatus, non modo libidinis ignem extinxit, verum etiam ingenti postea castitatis amore flagravit.

XIX. Videmus ergo quanto affectu veteres castitatem amaverint: Hinc Marquard. tractat. de coelibat. sacerdot. non abrogand. c. 9. ita exhortatur Virgines: Occludant, inquit, seipibus castitatis hortum Virginitatis, & sicut Vestales Virgines custodiebant ignem materiale in ara Vestæ falsæ Deæ consecratâ, ita multo magis ipsæ spiritualem custodiant ignem, magnus quidem est pudicitiae labor, sed majus premium, temporalis custodia, sed remuneratio eterna. Ad quam castitatem melius conservandam, & ut omnis occasio mali evitetur, puellas non debere edoceri in scholis virorum, tradit Hispan. Munnoz. tract. de Ration. cap. 27. Sic Moniales non permittuntur cum Clericis cohabitare. Bermond. Choveron. tract. de publ. concubin. c. in nullo. 17. q. 2. nec in publico vagari, sed intra claustra monasterii morari tenentur, c. 2. de judic. in 6. & monachis non licet cum ipsis conversari, c. monasteria. 18. q. 2. quia secundum Bald. in l. 10. C. de probat. Scholaris quando loquitur, non præsumitur ei dicere: Pater noster. Si tamen necessum fuerit cum illis loqui, in locutorio id fiat, petita prius licentiâ à Superiore, & tunc non sedens, sed stans loquatur frater religiosus, cujus sermo sit brevis & rigidus, caveatque ne Monialem intentè respiciat. Idem Bermond. Choveron. dict. loc.

XX. Inde & in quibusdam locis, quando homines religionis gratiâ in templo conveniunt, à maribus separantur mulieres ligneo pariete interjecto, ut invicem non videantur, dum deputato sedent loco, Exemplo nobis sit in vicinia Freydenstadium. Idq; Neapoli interpositis inter utrosque hinteis, aut simili quopiam, passim observari testatur Anton. Surgen. de Neapol. illustrat. lib. 1. cap. 9. Et de mulierum à viris in templo discretionem ex more Judæorum tradit Joseph. de bello Jud. lib. 6. cap. 6. cujus verba refert Card. Baron. Annal. Ecclesiast. tom. 1. Ex quibus, inquit, probè intelligi potest, tam in ingressu templi, quam etiam intra templum, & portis diversis, & parietibus interpositis mulieres à viris fuisse distinctas: Porro puerulos innocentes, de quibus nulla peccati suspicio, matres sequi (si vellent) non erat vetitum, quibus etiam liberum esset, magis patribus inherere. Quò etiam tendit Jus urbis Romæ, in Quadragesimalibus stationibus, non enim eadem die mares & fœ-

& foeminae indulgentiarum causâ in eodem templo conveniunt ad effundendas Deo preces, statis illis indulgentiarum diebus, unde Stationum nomen usurpatum est, sed distincti masculis & foeminis in unumquodque Stationum templum dies sunt. Benedict. *Ægid. de jur. & privileg. honestat. art. 14.* Ejusdem rei gratiâ, ne quodvis offendiculum præberetur honestati, veteres Romani nocturna sacrificia mulieribus inhibuerunt, quippè quod eo tempore magna daretur occasio peccandi; Unde Lege XII. tabb. cautum erat, *Ne quis in urbe coetus nocturnos agitare.* Rittershus. *Dodecadelt. class. 2. cap. 7.* Quem morem imitata est Ecclesia in solennibus Sanctorum, consuetudo enim erat præcedente nocte in templis vigilare, quod postea sublatum, jejuniis surrogatis, & nomine vigiliarum nihilominus retento, quod testatur Bapt. Mant. sequentibus versibus:

*Id quoq; nam scitu locus est dignissimus, addam,  
Quod nostri in templis Atavi vigilare solebant,  
Excubiasq; pati, solennia mane sequenti  
Festa recepturi. Morem nova sustulit atas,  
Nam quia nox sceleri solet esse occasio, & illud  
Observant (qui furta volunt committere) tempus:  
Jejunare diem, visum est sapientius, illam  
Quæ præt, & clauso noctem dormire cubili.*

XXI. Otium quoq; non minimùm insidiatur castitati, mens enim frustra vacans nihil bonorum parit, *Nov. 133. cap. ult.* imò omnium cogitationum & tentationum malarum incentivum est. Quæ quæso navis utilis, eane quæ navigat, an illa in littore manens? Quæ aqua, eane quæ fluit, an quæ stat? Certè nisi habeat suum fluxum, fit marcida, & aërem ipsum corrumpit, & ferrum, quo nemo utitur, rubigine conteritur: Sic contingit animæ, dum est otiosa, rubigo enim quædam apprehendit illam, consumitque splendorem. Pulchrè hanc in rem ex Chrysostomo sæpius jam allegatus Marquard. *tractat. de Cœlibat. Sacerdot. non abrogand. cap. 9.* *Oritur Sol, & claros ubiq; diffundit radios, singulos ad opera excitans. Agricola accepto ligone egreditur, faber ferrarius folles suos apprehendit, ceterosq; opifices invenies instrumenta in manus sumere; Quidni ergo & Virgines discant tenere colum, rotare fusum, & facere filum? Quibus animi & corporis occupa-*

Occupationibus involutæ, non ita inhærebunt luxui aliisque delici-  
arum curis, quæ deliciae plerunque nocumento sunt pudicitiaë,  
juxta tritum illud: *Periclitatur castitas in deliciis, Humilitas in divitiis, Ve-*  
*ritas in multiloquio.*

XXII. Et causam, cur tot in urbe Veneta, aliisque soli Itali-  
ci locis scortorum sint millia, adscribit Kornman. *de Virginitat. cap. 63.*  
luxui & abundantiaë deliciarum, dum ament ludere chartis & cy-  
tharâ, aveant interesse publicis spectaculis, visitare balnea, & in-  
tempestivas ducere choreas, multarum siquidem deliciarum co-  
mes est extrema saltatio. *Cic. pro Muræ.* Ex quibus omnibus plu-  
ra fluant incommoda: Nam inter ludendum, *inquit idem Kornman.*  
*cap. 15.* obscœna proferuntur verba, quæ non proficit scire virgi-  
nes. Cythara demulcet & emollit animos, levesque virginum  
choros reddit leviores, pudicitiam abigens. *Et cap. 16.* Quis spe-  
ctaculorum à Romulo institutorum finis? Raptus Sabinarum Vir-  
ginum. Apud Lacedæmonios prohibita fuisse mulieribus comœ-  
diarum spectacula, tradit Plutarch. *in Apophi.* Quod idem Romanos  
fecisse haud difficile colligitur *ex l. 8. §. 3. C. de repud.* ubi Impe-  
ratores Theodosius & Valentinianus inter causas, ob quas vir ux-  
orem repudiare potest, enumerat, si illa vel Circensibus vel theatra-  
libus ludis, aut arenarum spectaculis marito prohibente interfue-  
rit. Quid Bathshebæ lavatio effecit? Homicidium & Adulterium,  
summa à summo Rege perpetrata crimina. Quid Johanni abstu-  
lit caput? Herodiatis saltatio. Hinc Petrarcha ait: *Sapè ibi matro-*  
*na diu servatum decus perdidit, sapè infelix virguncula didicit, quod melius i-*  
*gnorasset, multarum ibi fama pudorq; periit, multa inde domum impudicæ,*  
*plures ambigua redière, castior autem nulla.* Et Cornel. Agripp. *in libell.*  
*de vanitat. scient. cap. de saltat.* choreas vocat laxamen petulantiaë, a-  
micam sceleris, incitamen libidinis, hostem pudicitiaë, ac ludum  
probis omnibus indignum.

XXIII. Periculosum quoq; in Virginibus nonnulli censent  
nimias illarum evagationes, & curiosas ad externos peregrinatio-  
nes. Exemplo nobis est Jacobi filia Dina, quæ cum egrederetur ad  
videndum filias illius regionis, pudicitiam perdidit, *Gen. 34. vers. 1.*  
Ipse Imperator Justinianus *in Novell. 124. c. 1.* speciale quid conces-  
sit mulieri, quæ propter honestatem vitæ extraneis viris se mon-  
strare

Arare non consuevit, undè facilè apparet, quanti habuerit fœmi-  
nas domi se continentes. Sic ex *lib. Maccabeor. 2. cap. 3. v. 19.* con-  
stat, virgines rarò in publicum olim prodiisse. Et in Græcis Virgi-  
nibus hoc quoque intelligimus ex Euripide, apud quem cùm in  
Oreste rogasset Electram Helena, ut pro se capillorum inferias &  
libamina offerret ad Clytemnestræ sepulchrum, illa verò moneret,  
potius filiam suam Hermionem eò mitteret, si ipsamet Græcorum  
aspectum sic formidaret, respondit Helena, honestum non esse vir-  
gines cœtus sequi. Martin. Anton. Delr. in *Commentar. ad Seneca tra-  
gœd. p. 515.* Et apud Ægyptios puellæ innuptæ calceis uti prohibe-  
bantur, ad cohibendam evagandi licentiam, cùm nudo pede extrà  
septa prodire nefas foret. Andr. Tiraquell. in *Annotat. Genial. dier.  
lib. 5. cap. 18.* Hinc Augustin. *lib. ad sacr. virg. Publicos vitare conspectus &  
platearum frequentiam virgo debet, in domo posita operi lanificio insistere vel  
lectioni divine.*

XXIV. Nec minus ex osculo periclitari Virginum pudiciti-  
am, multi volunt. Loquor autem de osculo libidinis, varia enim  
genera sunt: Osculum *salutationis* in terris tùm Gallicis tùm Belgi-  
cis hodiernum usitatum, monitumque Apostoli est, *Osculo se invicem  
salutare.* Romanor. *ult. v. 16.* Ambrosius osculum vocat *pignus pieta-  
tis ac charitatis.* vid. Ciron, in *observ. Jur. Canon.* Datur insuper Oscu-  
lum *submisionis & reverentia*, vestigia habemus in *l. 1. C. de apparitor.  
præfekt. prætor. & l. 7. C. qui militar. poss.* ubi de adoratione sacræ pur-  
puræ agitur, Principem enim accedentes purpuream ejus vestem  
osculabantur, seu adorabant, i. e. ori admovebant. Panciroll. *rer.  
memorab. lib. 1.* sicut etiamnum hodie frequentatur exosculatio ma-  
nus. conf. *Limnæ. de Jur. Publ. tom. 1. lib. 2. cap. 7.* Subvenit tandem  
osculum *honoris*, quo honores decernuntur. Ciron. *dict. loc.* mosq;  
hic est in Renunciationibus Doctoralibus usitatissimus. Solum  
itaque osculum impudicum, à Cedreno *amoris φίλσον* vocatum, vir-  
ginum castitatem periclitari facit, cùm sit indicium depravatæ vo-  
luntatis. Covar. *de sponsal. part. 2. c. 7. §. 6. n. 3.* Menoch. *præsumpt. 41.  
lib. 5. n. 28. cum seqq.* Sanchez. *de Matrim. lib. 10. disp. 12. n. 47.* Quod  
tamen Canonistæ limitant in Clericis, quia hi mulierem osculan-  
tes, eam non libidinis, verùm benedictionis imprimendæ causâ  
osculari præsumantur. *gl. in c. absit. 11. q. 3.* Sed à tali benedictione  
libera

libera nos Domine! Commnis enim est natura tam Clerico, quam Laico, *arg. l. 12. §. 4. ff. de accusat.* unde cum sint homines, & imbecillitatibus humanis subiecti, adeoque & Clericus in loco secretiori cum muliere sola inventus, non præsumitur esse Angelus, vid. Dn. D. Brandmyll. *in Manuduct. ad Jus Canon. & Civil. pag. 265.* aliàs Pontifex *in cap. 104. de consecrat. distinct. 4.* Monachis forsitan non interdixisset osculari fœminas. Osculum siquidem proximum præparatorium dicitur ad actum, & ad quartam Veneris partem refertur hoc versiculo:

*Visus & alloquium, tactus, post oscula factum.*

Quò ne deveniatur, nonnullæ Æthiopum gentes puellis, ubi primum natæ fuerint, pudenda consuunt, relicto libero tantum meatu ad urinam reddendam; Cum nuptui verò traduntur, ipsi Sponso incumbit uteri labra disfluendi, sic virgines nolentes volentes ilibatam conservant virginitatem, ipsique sponsi ab omni suspitione liberi existunt, cum non possint ab aliis in ea re decipi. Ita ex *Petr. Bemb. lib. 6. Histor. Venet. refert Zachias in quæst. Medicolegal. lib. 4. tit. 2. q. 2. n. 34.*

XXV. Puellæ itaque virginitatem suam custodientes, vivere dicuntur in excellenti statu. Nec immeritò, cum multa Virginitatis sint præconia: Auro æquiparatur, & est summa gemma, thesaurus pretiosus margaritis refertus, lux Solis, Marquard. *de cælibat. Sacerdot. non abrogand. c. 9.* Comparatur lilio, hinc & Catullus in carmine nuptiali Virginitatem sequentibus laudat versibus:

*Ut flos in septis secretus nascitur hortis  
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,  
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,  
Multi illum pueri multæ optavere puellæ;  
Idem cum tenui carptus destoruit ungue,  
Nulli illum pueri nullæ optavere puellæ:  
Sic Virgo dum intacta manet, tunc cara suis, sed  
Cum castum amisit polluto corpore florem,  
Non pueris jucunda manet, nec cara puellis.*

Altum montem virginitatem dixit Gregorius. Vocatur insuper virtus animi, *c. de pudicitia. 32. q. 5.* cujus comes est fortitudo, *c. ita ne aliquem. 32. q. 5.* nam abstinentiæ vacare, est opus magnorum, *c. quod*

*proposuisti. 32. q. 7.* Imò ipsum regnum cœlorum per virgines præfiguratur *Matth. 25.* & in virginitate, ut inquit Bald. *in c. caus. n. 7. ext. de probat.* vivitur gloriosè. Quam virginitatem *gloss. in c. nuptiæ. 32. q. 1.* sororem angelorum nominat, & *Ambrosius* templum Dei, *c. tolerabilius. 32. q. 5.* Hæcque sola potis esse dicitur hominum animas Deo præsentare, *Novell. 14. §. 1.* Et replere Paradisum. *c. nuptiæ. 32. q. 1.*

XXVI. In hoc autem præcipuè commendatur, quod ipse Christus matrem, ex qua nasceretur, virginem esse voluerit. Et licet matrimonia contrahantur procreandæ sobolis gratiâ, quâ in re publica versatur utilitas, *l. 64. ff. de condit. & demonstr.* tamen à tali commixtione nasci recusavit, *Bermond. Choveron. tractat. de publ. concubin. in præfat.* Hanc ob status excellentiam magni semper honoris ac reverentiæ habita fuit virginitas. Olim apud Romanos non nisi Virgines præficiabantur curæ perpetui ignis, ut Author est *Livius*, Vestales dictæ, à Dea Vesta, inde *Cic. 3. de legib. Virgines Vestales in urbe custodiunt ignem foci publici sempiternum.* Quibus inter cæteros honores hoc quoque concessum erat, ut si casu in aliquem incidissent, qui ad lethum duceretur, necari eum non licuisset. *Plutarch. in Num. Pompil. & Gothofred. in Not. ad l. 6. C. de episcopal. aud. lit. p.* Sic Romani sæpius & dederunt & acceperunt obsides puellas virgines, non verò mulieres corruptas, teste eod. *Livio*, & *Innocent. Ciron. in Not. ad Decretal. tit. 24.* Et Ethnici insaniore, quoties illorum Deus placandus esset, non nisi virginum cruore ac hostiis litabant, exempla, si quis forsan desiderat, recenset *Simon Majol. Dier. Canicular. tom. 7. p. 278.* Item ob virginitatem nonnullas accepisse donum Prophetiæ fertur, ut de Sibyllis tradit *Marquard. tract. de Jude. & aliis infidel. part. 3. c. 1.*

XXVII. Cùm igitur status virginalis dignitatem hæctenus extulimus, quæritur, utrum virginitas sit excellentior Matrimonio? Quâ de re videri potest text. *in c. nuptiarum. 27. q. 1.* & latè *Chassan. de glor. mund. part. 3. consil. 39.* Item, num melius sit ducere uxorem Virginem quàm viduam? Hoc quamvis cujusque arbitrio relinquatur, (exceptis olim Sacerdotibus in vet. Testamento, qui virginem tantùm sibi jungere debebant, *Levit. 21. v. 13.*) tamen pro virginibus sequentia faciunt: quod nempe teneræ & ad utramque partem flexibilis puellæ simplicem animum, quocunq; voluerimus, facillimè

facillimè trahemus, ad nostramque vitæ normam instruere poterimus. Et quod mulier virum, qui primus eam cognovit, præcipuo amore veneretur, quia verecundia amorem prosequitur, cum rationabile sit, ut fœmina illum, qui sui pudoris vincula relaxavit, vehementer admiretur & amet. Fulv. Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 2. n. 72.* At viduæ, sua & aliena vitia scientes, sicut difficilius reformantur, ita priorum maritorum moribus assuefactæ, novos fastidiunt & aspiciuntur, etsi priori marito secundus forsan vir præstantior esset, id enim, inquit *Tiraquell. de legib. connub. lib. 6.* à natura comparatum videtur, ut non solum omnia prima nos magis delectent, verum etiam ut præterita semper meliora præsentibus censeantur. Et præsumptum est, ut eleganter scribit *Ictus in l. 37. ff. de adilit. edict.* ea mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora & dociliora; trita verò & veterana difficile est reformare, ad suosque mores formare. Quam Ulpiani sententiam egregiâ metaphora extulit *Ovidius de Remed. amor. lib. 1.*

*Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,  
Quo posita est primum tempore, virga fuit,  
Tunc poterat manibus summâ tellure revelli:  
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.*

Virgilius quoque *lib. 3. Georg.*

*Jam vitulos horrare viamq; insiste domandi,  
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.*

XXVIII. Nunc transeamus ad ipsa Jura Virginibus competentia, quæ sunt vel Communia cum Mulieribus quibuscunq; item cum viduis, vel Singularia. Ad primam classem refero Beneficium Senatusconsulti Vellejani, quod cum Mulieribus propter sexus imbecillitatem multis casibus objectis atq; suppositis constitutum sit, *l. 2. §. 2. ff. ad SC. Vellejan.* nemo negabit in virginum quoque favorem introductum esse, nam æquè sub nomine mulierum continentur, ut *supr. th. 3. & th. 12.* diximus. Et sexus fragilitas, interveniendi facilitas, animique levitas non minus in his quam cæteris fœminis reperitur. Competit itaque hoc beneficium mulieribus, sive sint nuptæ, sive viduæ, sive virgines. *Vincent. de Franch. Decis. 623. Augustin. Barbof. Collectan. in Cod. h. t. Regi-*



nas excipit Conan. *Commentar. Jur. Civil. lib. 1. cap. 16. col. 2.* quia virilia negotia sustinent, pro tribunali sedent, jus dicunt, commissiones perficiunt, arbitri officium suscipiunt, laudum proferunt, Dn. D. Brandmyll. *in Manuduct. ad Jus Canon. & Civil. p. 594.*

XXIX. Veniam ætatis quoque, sicut aliæ fœminæ, impetrare possunt, si morum honestas mentisque solertia illas commendat, *l. 2. §. 1. C. de his qui ven. ætat.* & annum decimum octavum egressæ fuerint, *ibid.* in quo speciale quid habent à maribus, quos vicesimi anni metas implevisse necessum est. *d. l. 2. princ.* Accedit aliud, quod masculi impetratâ ab Imperatore ætatis veniâ, non solum illam ætatem per instrumenta, sed etiam morum probitatem per testes idoneos, apud suum quoque Magistratum ipsi præsentem allegare teneantur, *ibid.* Fœminæ verò tantummodò ætatem sive testibus sive instrumentis per procuratorem probare queant, siquidem propter pudorem ac verecundiam ipsæ comparere non coguntur, *d. l. 2. §. 1.* confer C. I. A. *tit. de minorib. th. 84. & 85.* Ratione tamen effectus conveniunt mares & fœminæ, dum ambo habentur vel pro Majoribus, in iis, quæ postea gesserunt, & adversus ea non restituntur, *l. 1. C. h. t.* vel pro Minoribus, primò in rebus alienandis, obligandisve, *l. 3. eod.* Secundo in substitutionibus & fideicommissis, aliisque causis, in quibus mentio fit legitimæ seu perfectæ ætatis, nisi specialiter quisquam addiderit, ex venia ætatis velle aliquid procedere, *l. ult. eod.* & Jul. Pac. *in Analys. Cod. h. t.*

XXX. Insuper privilegium mulieribus, & ita etiam Virginitibus, competens, est carceris exemptio. Nam neque pro debito, si ve sit publicum, si ve privatum, neque pro crimine licet atrocissimo carceribus tradi debent, *Novell. 134. c. 9. & Auth. hodie. C. de custod. reor.* in tantum, ut judex contra faciens capite plectebatur, *l. 1. C. de offic. divers. jud.* Sed quoad debitum datis fidejussoribus, aut juratoriâ cautione præstitâ, liberam agent vitam, quod etiam procedit in crimine, nisi sit atrocissimum, tunc enim aliis mulieribus custodiendæ tradantur, vel in monasterium detrudantur, *d. Nov. 134. c. 9. vers. Si verò. junct. Auth. hodie. C. de custod. reor.* quod tamen hodiernis moribus minimè observari tradit Jul. Clar. *in prax. crim. §. ult. q. 28.* Ratio hujus exemptionis à vinculis subditur *in fin. dict. cap. 9. Ne per hujusmodi occasiones inveniantur circa castitatem injuriata.* Unde nonnulli

nonnulli, ut notat Bened. Ægid. *de jur. & privileg. Honestat. art. 3.* concludunt, mulieres virorum tantummodò carceribus non esse tradendas, & ita dispositionem Imperatoris locum non habere, ubi masculorum & fœminarum carceres distincti inveniuntur. Verùm si hoc admitteremus, inane aut certè parvi momentì privilegium appareret, quia facillimè in qualibet civitate speciales mulierum à virorum carceribus separatæ custodiæ institui possunt; Manet itaque indubitatum, Imperatoris sanctionem *in d. cap. 9.* ad marium carceres arctandam non esse, præsertim cum ipsa naturalis ratio præcipiat, ne fœminæ cum viris in eodem carcere detinerentur, *l. 3. C. de custod. reor.* Deindè quia verba, prout sonant, accipi, & sic generaliter quoque intelligi debent, Covarr. *de sponsal. part. 2. cap. 8. §. 11. num. fin.* Menoch. *de arbit. lib. 1. quest. 88. n. 10.* Jul. Clar. *in prax. crim. quest. 28.* Et licet dentur carceres fœminarum à virorum carceribus segregati, tamen cum carceris custodes semper masculi existant, mulier capta maribus custodienda traderetur, quod omninò prohibet Imperator propter periculum castitatis: Imò privilegii hujus causa specialem fœminarum favorem respicit, ita ut etsi demus, per capturam aut publici carceris detentionem eas nullū castitatis subire discrimen, nihilominus privilegio locus erit propter honestatis favorem, & illarum castitas injuriata dicetur, si eo uti non sinantur. Bened. Ægid. *alleg. loc.*

XXXI. Sic mitigatione quoq; pœnarum gaudent Virgines, etiam in atrocissimo lælæ majestatis crimine, *l. quisquis. 5. §. 5. C. ad L. Jul. Majest.* Aliaq; ex Dd. traditis attribuuntur ipsis beneficia, cujusmodi sunt, quod in Curia publica comparere non cogantur, Bald. *ad l. fin. C. de procurat.* Si in testes producantur, judex Commissarium, qui eas domi examinet, mittere debeat, Bart. *in l. ad personas. 15. ff. de jurejur.* Minor metus mulieri injectus eidem proficit ad fundandam exceptionem metus, *gloss. ad cap. 14. verb. metus. extr. de sponsal.* quamvis enim ad impetrandam in integrum restitutionem requiratur aliàs metus, qui cadit in hominem constantissimum, *l. 6. ff. quod met. caus. cap. 6. extr. de his, quæ vi metusve caus. cap. 28. extr. de sponsal.* sufficit tamen in muliere talis, qui cadit in constantem fœminam. *Canonist. in cap. veniens. 15. extr. ibid. de sponsal.* adeò ut vel sola comminatio pro justo mulieris metu habeatur, Wesenbec. *lib. 1. consil. 43. n. 128.*

128. metus quippè secundùm conditionem metuentis confide-  
rari debet. Innocent. in cap. cum dilectus. 6. extr. de his quæ vi metusve caus.  
Conferatur Ampliff. Dn D. Fridericus Deckherr, Patronus ac Præcept.  
meus piè colendus in Disput. de condit. uxor. sub Præsidio ipsius hab. c. 2. th. 7.

XXXII. In secunda Classe occurrunt Jura cum Viduis  
communia. Ubi à DD. in primis refertur hoc, quod virgines fru-  
antur privilegiis viduarum, fluentibus non ex persona defuncto-  
rum maritorum, de quibus in l. 8. ff. de Senatorib. & l. 22. §. 1. ff. ad mu-  
nicipal. Sed quæ ex propria habent persona, eò quod viduæ sunt, ut  
est Privilegium fori, dum nullo Principali rescripto extra provin-  
ciam suam invitæ trahuntur, ne forsan sumptibus & periculis iti-  
neris vexentur. Ipsæ tamen in prima instantia omisso iudice infe-  
riore, adversarium ad Imperatoris tribunal evocare possunt, l. unic.  
C. quand. Imp. inter pupill. vel vid. idque sive oppressionem in judiciis  
inferioribus metuant, sive non, quod vocula præsertim, quæ est  
inclusiva casus oppositi, satis exprimit in d. l. un. Sicut autem in ple-  
risque juris articulis diversæ Doctorum reperiuntur sententiæ, ita  
etiam hoc in casu. Nam alii de virgine negant, ut Covar. pract. qu. 7.  
n. 2. Gail. 1. obs. 1. n. 41. & 42. Alii affirmant, Azo, Cyn. Bartol. in d. l.  
un. Sichard. ad rubric. ibid. n. 4. Guid. decis. 566. n. 2. Perez. in expos.  
Cod. d. t. n. 3. per l. 242. §. 3. ff. de V. S. Pac. in Analys. C. cod. tit. §. 3. ubi  
addit rationem, quia Virgo non minus favorabilis sit eâ, quæ virum extulit.  
Quod tamen de virgine viripotente intelligit Vincent. de Franch.  
decis. 100. n. 17. cum intrâ pupillarem ætatem constituta hoc privi-  
legio fruatur, non quia virgo, sed ut pupilla.

XXXIII. Et huic Privilegio renunciari non posse tradit Petr.  
Barbos. in l. 14. §. 1. n. 50. ff. solut. matrim. Nisi mulier seu persona alia,  
cui eligendi iudicis beneficium competit, apud unum conventa il-  
li consentiat coràm eo respondendo, tunc enim alium petere pro-  
hiberi, docet Benedict. Ægid. de iur. & privileg. honestat. art. 4. Et sic  
videtur, quod tacitus in certum iudicem consensus plus operetur,  
quàm expressus. Sed hîc prætermittendum non est, saluberrimam  
Constitutionem dictæ legis unic. C. quand. Imp. int. pupill. vel vid. in  
Imperio nostro haud frequentari, cum hodie in causis viduarum  
pupillorumque ipsimet Principes & Status Imperii cognoscant,  
ut ita omisso intermedio iudice, in prima Instantia (excepto casu  
denegatæ

denegata seu protracta justitia) nulli in Camera viduis decernantur processus, attestante Gail. *d. loc. n. 40. vers. Sed hoc in Camera.*

XXXIV. Hisce nonnulli annumerant Exemptionem ab onere hospitii, ita tamen, quod si Virgines existant divites, licet à recipiendis in domo militibus excusentur, tamen à pecuniaria contributione libera non sint, quia munus hospitii patrimonii onus est, non personæ, *l. 3. §. 14. ff. de numerib.* idcirco hæc ratio, quæ in dividendis hospitibus habenda, virgines divites (salvo honestatis jure & privilegio) comprehendit. Quod secus est in iis, qui ex speciali beneficio dignitatis causâ indulto exempti sunt hoc onere, *l. fin. §. ult. eod. tit.* hi enim nec hospites recipere tenentur, & à pecuniaria contributione hospitii causâ indictâ eximuntur, aliàs concessio privilegio non plenè fruerentur, sed illo potius per indirectum fraudarentur; At verò Virginibus & viduis propter honestatem privilegium datur, non illarum personarum causâ & honore, quibus plenè satisfacit, si non admissio hospite onus patrimoniale supportent per pecuniariam contributionem. Quin imò quamvis illæ potius hospitem admittere, quàm de patrimonio suo contribuere, eligant, audiendæ non erunt, quia honestatis jus (cujus causâ immunes existunt ab illo onere) publicum est, & proinde privatorum consensu tolli nequit, *l. 38. ff. de pact.* vid. fusiùs Bened. Ægid. *de jur. & privileg. honestat. artic. 14.*

XXXV. In causa matrimonii expeditum est, consensum parentum requiri tam in masculis quàm fœminis, si in potestate adhucdum sunt constituti, *pr. Inst. de nupt. l. 12. C. eod. l. 2. ff. de ritu nupt.* extrâ eam enim positi filii talem consensum adhibere, necessum non habent, *l. 25. ff. eod. C. I. A. h. t. th. 5.* quod secus est in filiabus, sive viduis sive Virginibus, hæc siquidem intra vigesimum quintum ætatis annum constitutæ patris nihilominus assensum explorare debent, *l. 18. & 20. C. de nupt.* in tantum, ut patre non existente, matris quoq; & propinquorum judicio locus sit, *d. l. 20.* Quæ licet hæctenus odiosa & minus hûc inter favorabilia viduarum ac Virginum referenda videantur, tamen hoc favoris simul occurrit, quod illarum voluntas, si pares sint genere ac moribus competitores, præferatur patris, matris, propinquorumq; voluntati, *d. l. 18. & ibi Pac. in sua Analys. n. 32.* Aliàs propinquorum consensus in puellæ nuptiis necessarius non est, sicut nec curatoris, *l. 20. ff. de rit. nupt. l. 8. C. eod. C. I. A. supr. cit. l. th. 12.*

D

XXXVI.

XXXVI. Virgo vel vidua, cum in domum viri est deducta, censetur uxor, *l. 6. C. de donat. ant. nupt. junct. l. 5. ff. de rit. nupt.* Sic virgo sponsa in casu *l. 6. & 7. ff. eod. tit.* de dote actionem habere potest, sicut vidua. Refero autem hoc ad secundam classem, quia dos regulariter soluto matrimonio repetitur, *l. 7. & ult. & tot. tit. C. & ff. solut. matrim.* quo casu demum mulier proprie vidua dicitur. Si itaque nuptiae per nuntium aut per epistolam inter absentes contractae sint, nec ullus subsecutus fuerit concubitus, virgo sponsa de dote actionem habebit; Ut enim non eò minus verae nuptiae censentur, quod uxor in viri cubiculum nunquam venerit, cum nuptias consensus faciat, non concubitus, *l. 15. ff. de condit. & demonstr. l. 13. ff. de R. I.* Ita nec illa eò minus virgo, quod virum & maritum habeat, quamdiu ejus congressum passa non est. Ant. Fab. *Jurispr. Pap. tit. de nupt. illat. 8.* Sufficit ergò ad actionem de dote instituendam, verum intercessisse matrimonium, *l. 3. ff. de jur. dot.* Imò ejusmodi virgo, si ante consensum thori conjugalis moriatur sponsus, habitu virginali incedere potest. Moller. *lib. 3. semestr. c. 23. n. 5.* An autem sponsa etiam cæteris lucris matrimonialibus potiatur, videri possunt Gail. *2. observ. 80.* & Mynsing. *cent. 6. obs. 78.* cum Authoribus *ibi* relatis. In delictis hoc singulare virginum ac viduarum occurrit, quod nec adulterio poluantur, nec hujus poenam luant, cum proprie in nupta adulterium committatur, *l. 6. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult. l. 101. pr. ff. de V. S.* Ben. Carpz. *de jurib. foeminar. decad. ult. posit. 5.* Imò à crimine quoque stupri remotæ sunt, si quis uxorem jam habens, ficto forsan cœlibatu, illas sollicitaverit ad nuptias, *l. 18. C. ad L. Iul. de adult.*

XXXVII. Subsequitur Classis tertia, continens jura, quibus solæ fruuntur Virgines, inter quæ Fulvius Pacianus *de probat. lib. 2. c. 2.* ex Baldo *inc. causam. extr. de probat.* & ex Felin. *ibid. sub n. 4. col. fin.* refert, quod Virgo in incessu ac mensa præcedere debeat viduas & conjugatas. Item quod testimonio Virginis magis credatur, quam vidua, aliarumve mulierum. Et Guliel. Benedict. *inc. Raynutius. extr. de testament.* indubitanter hoc verum dicit, ut datâ paritate numeri testimonium utriusque partis, testimonium Virginum præponderet testimonio viduarum & conjugatarum. Idem tenet Chassan *in Catalog. glor. mund. part. 3. considerat. 39. n. 46.* Monticell. *in repertor. de testib. Rubr. testimonium quis præferatur, sub tit. masculi foemini.* Farinac. *de testib. q. 59. n. 50.*

n. 50. Qui tamen Authores hoc intellectum volunt de virgine pu-  
 dica & honesta, quæ si concurrat cum vidua aut conjugata ejusdem  
 qualitatis, hujus testimonio, cæteris paribus, magis credatur. Nec  
 hanc locutionem, dum distinguitur inter virginem honestam & in-  
 honestam, quis ita ineptam putet, quantum illam Glossæ in §. item  
 lex Julia. verb. viduam. Inst. de publ. jud. ubi dicit: stuprum non dari in vir-  
 gine meretrice, quasi possibile sit, esse virginem & meretricem simul;  
 Nam potest reperiri mulier, quæ virginitatem retinet, & nihilomi-  
 nus inhonestæ vitæ est, prout subjicit Fontanella de pact. nuptial. clau-  
 sul. 5. gloss. 5. part. 1. per l. 29. C. de adulter. in fœminis cauponarum mi-  
 nistris, quæ sæpius permittant ab hospitibus se deosculari, manibus  
 prætangî, & alia pudore virgineo indigna fieri. Plurimas ejusmodi  
 mulieres inhonestæ vitæ, licet virgines sint, commemorat Paris.  
 Bursat. Cephal. & Stephan. Gratian. discept. forens. tom. 2. c. 213.

XXXVIII. Circà legatum virgini in testamento adscripta  
 conditio, si non nupserit, non est impeditiva matrimonii, l. 63.  
 §. 79. §. ult. ff. de condit. & demonstr. quia ejusmodi conditiones, tan-  
 quam lege impossibiles, rejiciuntur, l. 15. ff. de condit. institut. Hoc li-  
 cet de jure Digestorum æquè verum sit in vidua, l. 62. §. ult. ff. de con-  
 dit. & demonstr. tamen Constitutionibus Novellarum aliud intro-  
 ductum est, ita ut si legatum sub viduitate injuncta relictum fuerit,  
 mulierq; rem legatam præoptet, ad secunda transire vota nequeat,  
 & vice versa, Nov. 22. c. 44. Scotan. in Exam. jurid. part. 5. tit. de indict.  
 viduitat. Quod idem etiam Doctores intelligunt de conditione illa,  
 Donec castè vixerit, quæ Virginem matrimonium inire non  
 impediât, obsit autem viduæ, non obstante Nov. 2. cap. 3. ubi nuptiæ  
 quoque secundæ castæ dicuntur, & c. Nicena. 12. distinct. 31. ubi castus  
 habetur coitus etiam cum propria conjuge, nam sub appellatione  
 castitatis simplici, omnem concubitum tam licitum quàm illicitum  
 in vidua excludi docet Bened. Ægid. tract. de jur. & privil. honestat. in pr.  
 Distingunt tamen nonnulli inter conditionem donec castè vi-  
 xerit, & donec honestè vixerit. Priori casu, indictam vidui-  
 tatem esse affirmant, altero non, quia testator haud videatur respe-  
 xisse ad secundas nuptias, sed ne vidua sese prostituat. Idem Bened. Æ-  
 gid. Similiter judicandum censent Cyn. Bald. Angel. & Salyc. ad l.



20. C. de donat. ante nupt. in legato Monasterio relicto, cum duo in civitate essent, unum Virginum, alterum conversarum, quod nempe tale legatum in dubio Virginum Monasterio potius applicandum sit.

XXXIX. Præter hæc alia occurrunt singularia. Nam in puellis circa pubertatem inspectio corporis habebatur impudica (apud veteres, non æquè in pueris, donec Imp. Justinianus idem hoc statuerit in sexu masculino, *pr. Inst. quib. mod. tut. fin.* Pariter major ratio militabat in filiabus, quàm filiis, quoad prohibitam noxam deductionem, *§. ult. Inst. de nox. xl. act.* Sic anno duodecimo à tutela liberantur Virgines, *pr. Inst. quib. mod. tut. fin.* Eodemq; anno testamenta facere, *l. 5. ff. qui testam. fac. poss.* Et nubere possunt *pr. Inst. de nupt.* & quousq; innuptæ sive in domo patris manent, in capillo esse dicuntur, *2. F. 24. §. rursus. 1. Feud. 5. vers. item si fidelis. in not. lit. l.* Comis enim tantum, non ullo velamine obtegebant caput, qui mos in multis Germaniæ locis hodiernum frequentatur. Alios ætatis conjugalis terminos definivère Philosophi, quidam enim in muliere 20. in masculino 30. annos requirunt, *Plat. lib. 5. de LL.* Alii in viro 36. in fœmina 18. *Aristot. lib. 7. Polit.* teste *supr. laudat. Amplifs. Dn. D. Frid. Deckherro, cit. loc. c. 1. th. 12.* Sic Virgines Vestales, quæ intra annum ætatis sextum & decimum legebantur, per tricennium oportebat manere innuptas. Primo decennio discebant sua officia, altero exercebant, tertio alias ipsæ docebant, *Plutarch. & ex eo Cypræ. de jur. Connub. cap. 13. §. 75. n. 5.* Cur autem Virgines citius matrimonium contrahere possint, quàm masculi, plures sunt Dd. opiniones, quidam votorum festinationi causam adscribunt, *Macrob. in somn. Scip. lib. 1.* quidam doli capacitati. Alii, ne in corpus suum peccent propter pudicitia periculum, alij deniq; quod perfectionem sexui congruentem maturius assequantur, ubi *gloss. ad l. 2. C. de his qui ven. etat. impetr.* addit rationem, *quia mala herba citius crescat.* Aliam affert *Theophrast. lib. 1. de caus. plant.* Quoniam spissa & sicca non facile augeantur, econtrà laxa & humida ( prout videndum in arboribus ) celeriter crescant, atq; ideò fœminas maturius pubescere, quia naturæ humidioris sint. *Aristot. de generat. animal. lib. 4. c. 6.* *Intra parentem, inquit, longiore tempore fœmina conficiuntur, quàm mares, & ubi in lucem venerint, celerius perficiuntur, nam & pubes & vigor & senectus prius illis obtingunt: Sunt enim fœmina naturâ debiliores, & sexum fœmineum quasi lesionem*

*fronem naturalem & detrimentum esse putandum est*; Proinde ob suam debilitatem citò ad ætatis florem senectutemque perveniunt, cum omnia minora, ut in naturæ & artis operibus, citius ad finem perducantur, ait Anton. Gubert. Costan. *de Matrim. tit. de his qui matrimon. contrah. poss.* Tandem Macr. Satur. *lib. 7. c. 7.* ita dicit: Quod citò admoventur generationi fœminæ, non nimii calor sed naturæ infirmioris est, ut exilia poma celerius maturescunt, robusta serius.

XL. Et ita Romani quidem nubilem fœminarum ætatem anno duodecimo determinarunt, ut pudicitia (sicut Plutarchus in *Numa ait*,) bonæq; indolis facilius contraherent habitum, quod tùm vitæ consuetudo ad mores informandos accommodatior videretur, hinc Hesiodus: *Virginem ducito, ut eam probos mores doceas.* Lacedæmoniis verò ex præscripto Lycurgi adulta & grandis ætas necessaria fuit, ut firmior inter conjuges conciliaretur amicitia, & aptiores fœminæ ad concipiendum, partusque dolores perferendos essent. Ant. Gubert. Costan. *cit. loc.* Sed cur diversum tempus in masculis & fœminis quoad matrimonium, secus ac in sponsalibus, constitutum sit, quæritur? Nonnulli hanc adducunt rationem, quod sponsalia fiant per consensum, & ita valeat unus sicut alter consentire; Quorum opinio refellenda videtur, quia etiam matrimonium per consensum fit, *l. 13. ff. de R. I. c. sufficiat. 27. q. 2.* Ideoq; Angel. in *§. justas. Inst. de nupt.* aliam affert, quam Alexand. Carerius *tract. de sponsal. & matrim. lib. 1. c. 9.* approbandam existimat, inquit: Etsi nuptiæ consensu contrahuntur, tamen quia hæ fiunt, ut corpora jungantur, requiritur, ut ille consensus fiat inter personas ad contrahendum habiles, quæ ratio cessat in sponsalibus.

XLI. Circa hanc nuptiarum materiam silentio non involvendum, quod puellæ antiquis temporibus, ratione matrimonii contrahendi, peculiare quid habuerint à masculis, ubi pater furiosus existeret, nam filia nubere poterant, super filiis verò dubitabatur, usque dum postea ad hos æquè extensa fuerit illa potestas, *pr. Inst. de nupt. l. 25. C. eod.* Nec hoc prætereundum, quod olim, sicut etiamnum hodie observari videmus, virgini sponsæ anulus mittebatur, Rosin. *antiquitat. Roman. lib. 5. cap. 37.* quem pronubum Tertullianus in *lib. de cultu fœmin.* vocat. Isidor. Hispalens. *lib. 20. Etymolog.* Fœminæ, inquit, non usæ sunt anulis, nisi quos Virgini sponsus miserat, & ferreum

Ferreum anulum, eumque sine gemma sponsæ mitti a tate suâ con-  
fuevisse, Plinius *lib. 33. natur. histor. c. 1.* auctor est. E contra, teste Cy-  
præo *de jur. connub. c. 4. §. 21. n. 4.* viduæ ob modestiam aureos anulos  
non gestabant, quia illarum nuptiæ absq; solennitate & pompa sine  
strepitu ac choreis peragebantur, & quidem diebus festis, quò pau-  
ciores haberent spectantes, dùm viduis dedecori fuerit multis præ-  
sentibus nupsisse, virginibus verò summo honori, in præsentia plu-  
rimorum maritum accepisse; Virgines itaq; diebus feriatis non nu-  
bebant, vel ob modò dictam rationem: vel quia ob raptas die festo  
virgines, Sabinorum bellum exortum est. Anton. Gubert. Costan. *de*  
*Matrim. tit. de rit. nupt. vel ne vis illis per concubitus inferatur, cùm*  
*diebus festis vim fieri piaculare sit. Macrob. lib. 1. c. 15.* Verrium Flac-  
cum dicere solitum fuisse refert Varro, *quia feriis tergere veteres fossas li-*  
*ceret, non verò novas facere, idè dies festos magis viduis quàm virginibus idone-*  
*os esse ad nubendum.* Rosin. *supr. dict. c.* Quam rationem non in Philo-  
sophi cerebro, sed meretricis sinu excogitatam dicit Lactantius, at-  
testante Cypræ. *allegat. loc.*

XLII. Item apud eund. Rosin. legimus, quod olim novi ma-  
riti nuces spargere consueverint, secundum illud Virgilit *Eclog. 9.*

*Sparge Marite nuces.*

Ut à rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ vox virginitatem  
deponentis possit audiri, Sic & aliis quoq; gentibus diversi fuerunt  
ritus in ineundis matrimoniis, Thraces quippe Virgines non pa-  
rentum arbitrato, sed præmiis nubunt: Puellæ enim, quæ forma  
præcellebant, à viris pretio exhibito & certa subtaxata pecuniarum  
summa emebantur, deformes verò & minus decoræ pretiis merca-  
bantur viros, quibus nubent. Babylonis & Assyris peculiare fuit,  
nubiles virgines ad forum in unum cogere, circumstanteq; virorum  
turbâ, per præconem singulas auctionari, ut quæ complacita foret,  
pretio exhibito aut datis vadibus sponsa duceretur. Apud Taxilos  
Brachmanesq; Indiarum populos, si qua propter inopiam virum  
nancisci non posset, in forum virgo deducebatur, & classico evoca-  
tâ turbâ, pudibundisque revelatis & ostensis, cui complacita erat,  
nuptui dabatur. De hisce & aliis exemplis pluribus vide Tiraquell.  
*in Annotat. genial. dier. lib. 1. cap. 24.*

XLIII. Contraria quod attinet, consistunt illa in defloratione,  
unde

unde Virgo deflorata, *passim apud Authores. de virginata, l. ult. ff. de offic. pres.* (Non eo sensu, quo pueri de virginati dicebantur, qui ex ephebis excefferant. *Laurenberg.*) de pudrata, *teste Gell. lib. 6. cap. 7.* violata, *l. 7. C. ad L. Iul. de adulter.* Contingit autem defloratio per concubitum, & quidem vel licitum, nempe Matrimonium, vel illicitum, ut stuprum, sive simplex, sive cum raptu conjunctum. Stuprum itaq; commissum in virginem Deo dicatam, crimen omnium maximum habetur, ex quo secundum Canonistas plura oriuntur: 1. Sacrilegium, quia persona sacra per violationem læsa reperitur, *c. si quis suadente. 17. q. 4.* 2. Incestus, cum ejusmodi virgo in Christo omnibus sit conjuncta, *Marquard. de coelibat. Sacerd. non abrog.* 3. Adulterium, cum violetur sponsa Dei, *id. ibid. c. si qua. 27. q. 1.* & horrendum scelus esse, virgini id auferre, quod restitui nequeat, *l. un. pr. C. de rapt. virg.* adeò, ut & ipse Deus (*verba sunt Hieronymi*) virginem suscitare non possit post ruinam, *c. si Paulus. 32. q. 5.* cujus loci explicationem vide ap. *Conrad. Rittershul. in sacr. Lection. lib. 4. c. 7.* 4. Crimen læsæ Majestatis, quia gravius sit, æternam lædere Majestatem, quàm temporalem. *c. vergentis. 10. extr. de heretic.* Et proinde gravissimam in violatores statuendam esse pœnam, scribit idem *Marquard. præsertim si fortè Sacerdotes tale committerent delictum, quod propter status excellentiam aggravaretur, ut ita delinquentes in contumeliã tantæ dignitatis & officij majori pœnâ digni sint, l. 8. C. de Episc. & Cler. juxta illud:*

*Tanto conspectius in se.*

*Crimen habet, quanto major qui peccat, habetur.*

XLIV. Olim quidem penes gentiles sub colore honoris Idolorum procurabant Sacerdotes, ut mulieres illis sese prostituerent, ob quod *Isaias Rex*, referente *Lyra*, ædículas ibi destruxit effœminatorum, quæ erant in domo Domini. Idemq; *Lyra* dicit, quod Idolorum Sacerdotes puellâ cupientes abuti, fingere solebant, Deum (qui colebatur in templo) illâ uti velle, & parentes mittebant eam noctu ad fanum, sic illa se cognitam à Diis credebatur. Pariter *Josephus lib. 20. antiquitat.* exemplum recenset de Sacerdotibus, qui *Paulinam* Nobilem Romanam sub specie numinis *Mercurii* deceptam ad concubitum alicujus juvenis, qui amore puellæ flagrabat, deduxerant in fano *Isidis*, acceptâ hujus rei pecuniâ. Sed sunt Ethnicis sua nefanda crimina. Hodie de jure Canonico Clericus carnaliter

Virginem

Virginem Deo dicatam cognoscens deponitur, & in Monasterium detruditur. Laicus excommunicatur, *c. si qua. 27. q. 1.* & secundum leges civiles capite plectitur. *l. 5. C. de Episc. & Cler. Baptist. à S. Blas. in contradict. Tur. canon. cum. civil. n. 140.* Ipsa verò Monialis æquè in monasterium, sed priore districtius redigitur, *d. c. si qua.* Longè severior pœna apud Romanos sancita fuit in Virgines Vestales, vivæ enim deferebantur in feretro per forum more mortuorum, & ad portam Collinam cum silentio deducebantur, ubi structa erat subterranea domus cum lecto, lucernâ ardente, pane & aquâ, lacte & oleo, ne fame mori viderentur, hinc Juvenalis:

*Sanguine adhuc vivo terram subitura Sacerdos.*

In quam cavernam descendere debebant, humo statim injectâ, & sic vivæ defodiebantur in campo, qui ob id sceleratus dictus. vid. *Liv. lib. 5. 7. & 22.* Dionys. Halicarnass. *antiquitat. Roman. lib. 2.* Cypriæ. *de jur. connub. c. 13. §. 75. n. 5.*

XLV. Cæterum ratione stupri in virginem perpetrati, si per vim fuit cognita, manebit illa impunita, *l. 13. §. 7. in fin. ff. de adulterio. privilegiisq; virginum adhuc lætabitur.* Num sermo quoq; & corolla? Ita tenent Matth. Steph. *in Not. ad art. 119. Ord. crim. Matth. Berlich. part. 5. concl. 47. n. 67.* quia nihil criminis imputari possit stuprum violentum perpessæ, mente ac voluntate profus aliena, *d. l. 13.* dum nec virginitatem amisisse censeatur, eò quod virginitas sit virtus in animo constituta. August. *de Civ. Dei lib. 1. c. 18. & c. ita ne. junct. c. de pudicitia. 32. q. 5.* Contrarium defendit Bened. Carpz. *de Jurib. Fœmin. Decad. 1. post. 10.* motus hâc ratione, quod licet ejusmodi virgo pudicitiam animi retineat, tamen amisisse virginitatem corporis, cujus ornamenta sint istæ corollæ, non verò animi, quapropter expeditam consequentiam contra stupratam ait, ne sermo ornata incedat, cæteroquin nec viduarum vel conjugatarum capita peplo tegenda forent, quas non minus fovere castitatem mentis, ac virgines ipsas, nemo facile dixerit: nisi stuprum tale violentum adhuc sit occultum, vel saltem paucissimis notum, tunc enim priorem admittit sententiam, ne ulterius detegatur injuria, vel bonâ nubendi occasione privetur virgo vi stuprata. Hæc, inquam, manebit impunita, quia quoad eam coitus non censeatur punibilis, imò magis afflictio, quàm corruptio dicenda est. Marquard. *sæpius jam alleg. loc.* Stuprator verò tenetur

netur Lege Julia de vi publica. l. 29. §. ult. ff. de adult. l. 3. §. 4. ff. ad L. Iul. de vi publ. Quod si nulla intercessit vis, lex irrogat ei, dum in honesta conditione constitutus est, dimidiæ partis bonorum publicatione, cæteris in viliori statu positus coërcitionem corporis cum relegatione, §. 4. Inst. de publ. jud. Paul. Grilland. de pœn. coitus illicit. qu. 7. Quod locum habet in iis, qui virgines honestas seduxerunt, secus, ubi vilis quædam persona deflorata fuerit, l. 29. C. de adult. sicut etiam minus peccare videtur, qui virginem ancillari vel meretriciâ veste indutam appellat, l. 15. §. 15. ff. de injur. Ex quo apparet, Virginum vestimenta olim distincta fuisse ab habitu impudicarum, vid. Gothofred. in Not. ad d. l. 15. lit. L. Imò à nuptis quoque, licet honestæ fuerint, vestitu discernebantur virgines, ita enim Andr. Tiraquell. in Annotat. Genial. dier. lib. 5. cap. 18. ait: Vittas certas & supparum ac togam prætextam, quæ nuptis non dabantur, solæ virgines deferrebant, quibus mos erat, capillos aut humeris defluentes aut reticulo collectos ferre, tanquam insignia pudoris & verecundiæ. Confer Cypræ. de Jur. connub. c. 5. §. 30. n. 1. cum seqq. Zonâ quoque olim utebantur, tanquam propugnaculo & tegmine pudoris, unde solvere zonam pro eo, quod est virginitatem eripere. Kornman. de Virginitat. cap. 100.

XLVI. Sed ut ad propositum redeam, Doctoribus adeò expeditum non est, quid obtineat circa stupratorem Virginis nondum viripotentis? Quidam, quos recenset Bald. in l. 6. C. de Episc. & Cler. statuunt pœnam capitalem, quia hoc quoque stuprum, licet vis absit, violentum censeatur, cum persuasio pro coactione sufficiat, Bossius de coitu n. 67. Et quamvis actus non devenerit ad effectum propter immaturitatem, tamen conatum haberi pro consummatione, in delictis ejusmodi atrocioribus, per l. si quis non dicam. 5. verb. attentare. C. de Episc. & Cler. Cardinal. Florent. in Clement. Pastoralis. verb. tractaverat. de sentent. & re judic. Alii pœnam capitalem non aliter admittunt, nisi reverà vis intervenerit, sed actioni L. Aquil. locum faciunt, textu expresso in l. 25. ff. de injur. ita ut humiliores in metallum damnentur, honestiores in insulam relegentur, aut in exilium mittantur, textu iterum expresso in l. 38. §. 3. ff. de pœn. sic tenet Gulielm. de Cugn. ad d. l. si quis non dicam. 5. C. de Episc. & Cler. & sequitur Guid. Pap. decis. 555. item Anton. Tessaur. decis. Pedemont. 148. Quapropter Bermond. Choveron. de publ. concubin. tit. de stupro. hanc

E

opinio-

opinionem juri quidem convenientiorem dicit, sed de consuetudine aliter observari simul testatur.

XLVII. Stuprator de jure Canonico tenetur corruptam dotare, & si pater puellæ consentiat, in uxorem ducere, *cap. 1. extr. de adulter.* Quæ pœna è jure Divino petita, *Exod. 22. v. 16. & Deut. 22. v. 28.* & secundum Doctores eatenus recepta est, ut particula, & alternativè explicetur, alterumque horum sufficiat, nempe ut stupratam vel ducat, vel, si facere nolit, dotet. vid. Berlich. *part. 5. conclus. 38. n. 17.* Carpzov. *in pract. crim. part. 2. q. 68. n. 12.* & *in Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 14. defin. 229.* Befold. *lib. polit. 2. c. 2. n. 34.* Quod si ducere renuat, corporaliter castigatus, excommunicatusq; in monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam detruditur. *c. 2. ext. de adulter.* Ob idem crimen, prout tenent Canonistæ, præsertim Felyn. *in c. cum oporteat. 19. extr. de accusat.* & Aret. *in c. qualiter. eod.* juratur in litem, vel à patre, vel ab aliis, ad quos spectat onus virginem illam stupratam in matrimonium collocandi, jurabuntque, quanti intersit, eam virginem non fuisse defloratam, dum propter perditam virginitatem nunc plus dare pro dote ipsos oporteat in ea maritanda. Et ita etiam consuluit Bart. Cassan. *in Consil. 40.* ubi addit rationem, quia virginitas sit altera dos. Confer. Phanuc. *de jurejur. in lit. cap. 2. n. 72.*

XLVIII. Sed quid si stuprator neget, illam fuisse virginem? Assertio puellæ præponderabit, quia habet præsumptionem pro se, dum virginitas cum persona nascitur, & ideò adesse præsumitur. Prosper Farinac. *Oper. criminal. part. 5. qu. 117.* Bermond. Choveron. *de publ. concubin. tit. de stupro. n. 9.* Fulv. Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 2.* Abb. *in cap. si seduxerit. 1. n. 5. extr. de adulter.* Cravett. *consil. 166. n. 5. lib. 1.* licet non juraverit, quod tamen nonnulli necessarium existimant, quibus idem Pacian. dict. loc. respondet: Tale juramentum ad nil aliud prodesse, nisi quod sinistram opinionem ex præsentī turpitudine ortam purget in puella. Quin plus fidei tribuendum esse puellæ virginitatem suam asserenti, quàm eã neganti, tradit post Jul. Clar. Johannes Deckherr *dissertat. 9. n. 10. lib. 1.* Et locum habet hæc præsumptio, donec probetur contrarium, vel conjecturæ & signa corruptionis adsint. Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 89.* Quanam autem sint ista, num ruptio hymenis? Dn. D. Brandmyll. *in Manduct. ad Jus Canon. & Civil. p. 638.* & Cypræ. *de jur. Connub. c. 13. §. 41. & 51.*

Nam

Num lintea sanguine aspersa? Menoch. *de presump. lib. 6. presump. 89. n. 12.* Num lac in mamillis existens? Duaren. *in commentar. ad tit. de probat. cap. 3.* Hæc omnia Medicis dijudicanda relinquo. Interim præter alios jam allegatos videri possunt Thom. Sanchez. *de Sacrament. Matrim. lib. 7. disp. 113.* & Arnisa. *de jur. connub. cap. 2.* Communis modus de jure Civili & Canonico virginitatem probandi est inspectio corporis per obstetrices, *tot. tit. ff. de inspiciend. ventr. c. quod si. 27. q. 1. c. proposuisti. 4. extr. de probat.* quæ debent esse providæ, honestæ ac prudentes matronæ, *c. causam. 14. eod.* illarumque officium est, summâ curâ inspicere & tangere ventrem, cum sæpissimè oculi manusque sint fallaces, *d. sap. causam.* Prosper. Farinac. *decif. criminal. 27. lib. 1.* De numero obstetricum invenimus septenarium, *cit. cap. proposuisti.* Judicis tamen arbitrio determinandum censet Fulvius Pacian. *supr. alleg. loc.* ubi subnectit, si duæ obstetrices de virginitate, & aliæ duæ de corruptione deposuerint, prioribus magis credendum esse, quia censeantur asserere rem verisimiliorem, ac naturæ aptiorem, *arg. text. in c. præterea. 27. in fin. extr. de testib. & l. 21. §. 3. ff. eod.* Et licet in mulieribus inspiciendis fœminæ tantum propter honestatem debeant eligi, nihilominus ubi talis occurrit qualitas, in qua discernenda altior requiritur peritia, tunc ne facultas probationum pereat, in subsidium etiam viros peritos adhibendos esse, ait Aret. *Consil. 142.*

XLIX. Apud Hebræos probatio Virginitatis ex signo à Deo dato cognoscebatur, de quo vid. *Numer. cap. 5. & c. in libro namq. 2. q. 5.* Aliam explorandæ virginitatis rationem Ephesi habebant, quæ fiebat fistulæ iudicio: Nam in spelunca quadam à Pane Deo suspensa fuit fistula ex pluribus tibiis compacta, quam deinceps incolæ consecraverunt Dianæ; Itaque cum virgo in suspensionem violati pudoris venisset, eam populus ad speluncæ fores comitabatur, ut fistulæ iudicium subiret, quod tale fuit: Quæ stupri suspecta erat, in antrum descendebat, cujus postes statim obserabantur, & si quidem puella à viro integra esset, dulcis & divinus quidam sonus audiebatur, suâque sponte speluncæ valvæ aperiebantur: Sin autem virgo non erat, fistula pro cantu flebilem sonum emittebat, ita ex *Achille Statio* refert *Cypræ. de jur. connub. cap. 13. §. 51. n. 3.* Sic de Claudia Virgine Vestali fertur, quod cum adverso pudicitia rumore laboraret,


Horaret, in signum innocentiae suae navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant, cingulo duxerit. Marquard. *de celibat. Sacerdot. non abrogand. cap. 9.* Item de Tucia aequè Vestali Virgine, quae in cribro aquam portaverit, *id. ibid.* Alia ejusmodi exempla, imprimis de delubro pudicitiae matronalis, quod Romae erat, vide apud Korman. *de Virginitat. cap. 19.*

L. Esset nunc quidem, ut etiam de Raptu aliquid differerem, verum cum temporis ratio manum à calamo movere jubeat, insuperque haec Materia ex Titulo Cod. de Raptu Virginum, multisque Doctoribus, qui Legem illam Commentariis illustrarunt, abunde conspici possit, nolo post Homerum Iliada scribere. Hoc coronidis loco, occasione Raptus, adjicio, quod (sicut Jacob. Ravardus Ictus clarissimus arbitratur) ea fuerit olim matrimonij contrahendi ratio, ut usu quisque virginem ex gremio matris aut proxima necessitudine vi simulatam raptam, non aliter suam faceret, quam Romana pubes Sabinas Virgines suas usu fecerit. Nam Romulum, quia raptus Sabinarum Virginum feliciter ipsi successerat, constituisse, ut omnis legitimi connubij ritus non vero, sed simulato quodam raptu perageretur; Quem ritum eleganter exposuit Apulejus *lib. 4. de Asin. aur.* his verbis: *Tunc me gremio suo mater infelix tolerans, mundo nuptiali decemer ornabat, mellitisq; suavis crebriter ingestis jam spe futura liberorum votis anxius propagabat, cum in ruptionis subita gladiatorum impetus ad belli faciem sevens, nudis & incertis mucronibus coruscans, non cedi, non rapinae manus asserunt, sed denso conglobatoq; cuneo cubiculum nostrum invadunt protinus, nec ullo de familiaribus nostris repugnante, ac ne tantillum quidem resistente, me miseram, ex animem, sevo pavore trepidam, de medio matris gremio rapuere.* Et hic simulatus Raptus illi nuptiarum contrahendarum modo convenit, qui Usu fiebat. *vid. latè Rosin. Antiquitat. Roman. lib. 5. cap. 37.* Interim in cujus nomine orsus sum, nunc quoque desino, festinantiq; calamo

veniam posco. Tibi dulcissime JESU  
pro concessa facultate sint  
laudes immor-  
tales.

Strassburg, Diss., 1665-66

ULB Halle 3  
003 745 031



f

TA → OL

nur 5 bisher verknüpft

WOM




Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



500  
Pri. 25. *Quinta* 14.

INAUGURALIS  
*De*  
1665, 4.  
MINIBUS

Mq; JURE,  
*Quam*  
is annuente Gratia,  
*et Auctoritate*

NOBILISSIMI  
JURISCONSULTORUM  
prima Argentoratensium  
ademia,

*Pro*  
que Iure Honoribus  
Doctoralibus ritè  
sequendis,

*um Examine submittit*  
NHARDUS GSELL,  
mio-Francus.

15. Septembr. Ann. 1665.  
*locoq; solitis.*

NTORATI,  
NDREÆ DOLHOPFFII  
HANNES Schütz.

